Johannes dei gratia Episcopus Curiensis. Ad rei memoriam sempiternam. Inter ceteras pastoralis nostre curas quibus cor nostrum cottidianam sollicitudinem
pro nostrorum subditorum salute distrahitur aciem mentis nostre convertimus qualiter fidelium nostrorum fidelitatis obsequia previs recompensemus desideriis ac liber-
tates eorum continuis benignitatis favoribus foveamus. Sane pro parte fidelium nostrorum consiliariorum et communitatis vallis Postlavii et de Brusch
nobis nuper oblata supplex petitio continebat quatenus sibi et successoribus suis privilegia libertates pacta et conventa per bone memorie dominum Hartmannum
predecessorem nostrum eis concessa et habita inter eos gratiosius approbare et confirmare dignaremur. Nos igitur prefatorum consulum et communitatis fidelitatis
studia ac virtutum merita quibus nostram ecclesiam hactenus consueverunt devotius venerari debita consideratione pensantes ipsorum supplicationibus favorabiliter
inclinati eisdem consulibus et communitati successoribusque eorundem in perpetuum pro nobis et nostris successoribus episcopis Curiensibus universa et singula pri-
vilegia litteras libertates gratias immunitates iura indulta pacta et conventa que seu quas a dicto predecessore nostro obtinuerunt in omnibus suis ar-
ticulis continentiis tenoribus sententiis punctis et clausulis de verbo ad verbum prout scripta seu scripte sunt ac si tenores eorundem presentibus specifice forent
inserti et si de hiis de iure aut consuetudine mentio fieri deberet specialis deliberato et maturo prehabito consilio et ex certa nostra scientia approbamus
ratificamus innovamus et auctorisamus. Volentes et declarantes nos successoresque nostros ad observantiam eorundem premissorum inviolabiliter et in perpetuum
obligari nisi dicti consules et communitas quod absit aliquotiens contravenirent contra continentiam conventorum pactorumve premissorum. In quorum omnium et singulorum evidens
robur et testimonium sigillum nostrum episcopale presentibus duximus appendendum. Datum et actum Curie anno domini M°CCCC°XVII° sexta die mensis Septembris
Indictione decima.

© Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz

1417 Poſenclaſ

Confirmatiō priuilegiorū

poſchclaſientiū ſubē

conditione, niſi etc.

N.° 76

L. S. № 17 8

908

© Bischöfliches Archiv Chur / Schweiz